



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 68. Sessio XXXIII. Synodi Basileensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

sextam Maji, in qua Decreti confirmatio
sequeretur, indixit.

Sæcul. XV.

A. C. 1439.

§. LXVIII.

Sessio XXXIII Synodi Basileensis.

Igitur die Sabbati decima sexta Maji habebatur Sessio trigesima tertia Basileensis Synodi, ad quam omnes, qui eandem exoptaverant, hora præstituta accedebant. Celebrabat Sacrum solemne Episcopus Lausanensis, & Principum Oratores suo nomine ad eandem Sessionem Lubicensem Episcopum, & Turo-
Labbe Conc. to. 13. p. 618.
nensem Archipræsulem decernebant, si mulque pollicebantur, se quoque per se ipsos Synodo interfuturos, dummodo ad quadrimestre adversus Eugenium iudicii acta suspenderentur; quibus induciis ad vota impetratis, iidem insuper postulabant, ut Synodi decretum nonnisi circa primam conclusionem conderetur; hanc enim solam tolerari posse affirmabant, quibus Cardinalis Arelatensis hæc responderi præcepit: totius negotii summa a posterioribus duabus Conclusionibus dependet, atque in his potissima Synodi cura sita est; si ergo Sessioni interesse renuunt, culpa omnis in eos conjicietur, si Synodus dissolvatur, & pacis, quæ hac via Ecclesiæ reddi posset, spes ea ex causa intercidatur, quod ipsi promissis stare
negli-

Sæcul. XV. neglexerint. Ambo Præsules hoc respon-
 A. C. 1439. sum ægre ferentes discesserunt: nec ta-
 men inde suspendebatur Sessio, cui nullus
 ex Arragonia, nullus ex Hispania Prælati
 interfuit, ex Italia quoque tantum Gros-
 setanus Episcopus, & Abbas de Dona Co-
 manæ diocesis; ex reliquis vero Germa-
 niæ & Franciæ nationibus non nisi vigin-
 ti quinque partim Episcopi, partim Abba-
 tes (*) mitris decorati aderant.

§. LXIX.

*Cardinalis Arelatensis artificium ad
 reddendam Sessionem numero con-
 spicuum.*

Cardinalis ob tam exiguum Patrum nu-
 merum pudore suffusus, reliquos Præ-
 latos ad Sessionem allecturus, operam
 sagacitate quæsit, invenitque. Nam
 paucitatem Episcoporum suppleturus, om-
 nes, quascunque poterat, Sanctorum re-
 liquias in tota urbe Basileensi conquisit.

(*) Quanta Majestas Synodi Oecumenicæ
 ubi hos inter viginti mitratos plerique solum abba-
 bates, Episcopi exautorati, aut mere titulari
 indubium Papam sine culpa & causa deponere
 præsumunt, dum tamen secundum Canones
 ad simplicis Episcopi exautorationem duodecim
 ejusdem ordinis exigantur.